

3/94

IDIBVS IVLIIS

MCMXCIV

VARIVS
RVMOR VARIVS I
VMOR VARIVS F
RVMOR VARIVS F

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS
R VARIVS
A DIVA



IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA
TURICENSI in aedibus AKADis
editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos
annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis (annuum):

In Helvetia	sFr.	20.--
In Germania	DM	32.--
In Austria	öS	230.--
In ceteris Europae terris	sFr.	30.--
In terris trans maria sitis	US\$	24.--

Singula specimina qui rogaverit,
gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann lic. phil.
Dr. phil. Emanuel Bernard
Dr. med. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum
legentibus publicandarum curat:

Christina Meier-Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Solothurn

Epistulae, mandata mittenda sunt
ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH - 8050 Zürich

Institutum pecuniarium:
Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0



IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS
LATINA TURICENSIS unter dem
Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis (jährlich):

Schweiz	sFr.	20.--
Deutschland	DM	32.--
Oesterreich	öS	230.--
Uebrigues Europa	sFr.	30.--
Uebersee	US\$	24.--

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam:

Ulrich Aeschlimann lic. phil.
Dr. phil. Emanuel Bernard
Dr. med. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martin Meier
Daniel Weissmann

Grafik und Layout:

Christine Meier-Portner

Druck:

Copy Quick, Solothurn

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH - 8050 Zürich

Bankverbindung:
Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!

Certo memoria tenetis vos in libello anteriore (2/94)
RUMORIS VARIII tres symbolas ad Italiam pertinentes legere
potuisse. In hoc autem libello invenietis - inter alia
scilicet - symbolas ad Francogalliam pertinentes, velut
relationem de peregrinatione in caput eius terrae, Lute-
tiam, vel de coquis Francogallicis, vel versionem in
Latinum et Theodiscum cantionis Francogallicae modo 'ra-
pi', titulo 'Abi ab hoc loco'.

Praeterea in animo habemus nonnumquam in singulis libellis
RUMORIS VARIII unum thema imprimis tractare et, si vobis
placebit, symbolas nonnullas ad hoc unum thema pertinentes
divulgare.

Ad hoc efficiendum quidem necessarium est vos quoque
relationes, symbolas, narrationes, carmina apta nobis mis-
suos esse.

Hunc conatum incipimus vobis thema proponentes, quod nobis
satis actuale esse videtur: 'De mulierum emancipatione vel
liberatione ab obsequio virorum, sive temporibus antiquis,
sive aetate nostra.'

Sive vobis placet de hoc themate aliquid scribere, sive
alia themata proponere vultis, nolite dubitare nobis scri-
bere, cari legentes!


Itaque in uno insequentium libellorum videre poteritis, si
conatui nostro bonus eventus contigerit.

Sit vobis felix faustum iucundum tempus aestivum!


Valete!

Daniel Weissmann

X ANNIS ANTEA COMPLURES DIES IN URBE LUTETIA
ACTI MIHI IN MEMORIAM VENIUNT



Turris 'Eiffel' (noctu)



Arcus Triumphi (noctu)

Abhinc annis fere decem fratrem, qui iam multos annos Lutetiae habitavisset, tandem visitavi. Itaque occasione usus sum celeberrimam illam urbem visitandi, quamvis linguam Gallorum plus minus oblitus essem, qui multis annis ante unus optimorum discipulorum in lectionibus Gallicis scholae secundariae fuisset.

Attamen frater meus, cum in urbe Lutetia iter faceremus, me saepe adiuvabat, cum, quid vellem, pronuntiare nequirem, vel etiam deridebat.

Improvisum non erat nos primos gradus fecisse ad illam altam turrim nomine 'Eiffel'. Ascendimus turrim usque ad altissimum tabulatum, ut mirabilem prospectum super totam fere urbem haberemus, praecipue super eam partem urbis, quae ad occidentem vergit. Vis ingens domuum Lutetiae nobis apparebat velut mare immensum.

A turri passus direximus ad campum Martis et ad aedificium scholae militaris, Napoleonis eiusque temporis memores. Quibus locis breviter visis in sinistra ora Sequanae ambulantes adveni-

mus ad quartum pontem trans Sequanam ducentem. Quo superato iam eramus in Area Concordiae (Place de la Concorde). Cum autem sinistra parte Areae Concordiae maxima via nomine 'Campi Elysei' (Champs Elysées) inciperet, seducti sumus, ut per istam viam longam, largam famosamque progredieremur usque ad Arcum Triumphi (Arc de Triomphe), qui situs est in media area maxima, quae antea 'Area Stellae' (Place de l'Etoile) vocata post secundum bellum mundanum in honorem illius ducis in bello famosi 'Area Caroli de Gaulle' (Place Charles de Gaulle) nominata est. Vix satiari poteramus admirantes sumptuositatem et magnitudinem illius Viae Elyseae. Sub Arcu Triumphi paulum temporis quieti nos dedimus legentibus, quae in muris circum scripta sunt in honorem virorum celebrium.

Postea per vias nominibus 'Avenue Kléber' et 'Rue Franklin', deinde trans Sequanam ad illam viam magnam Gratianopolitanam (Boulevard de Grenoble), post ad 'Boulevard de Grenelle', inde in sinistra ora Sequanae ad 'Avenue de la Motte Piquet' et ad Domum Invalidorum (Hôtel des Invalides) advenimus neque ita multo post in sinistra ora Sequanae manentes primo 'Boulevard Raspail', deinde 'Boulevard Saint Germain' sequentes tandem ad viam Sancti Michaelis (Boulevard Saint Michel) advenimus. Cum autem scirem nos tum esse vicinos universitatis nomine 'Sorbonne' et cum viderem Domum Regiam Luxemburgensem (Palais du Luxembourg), ibi constitimus spectaturi universitatem 'La Sorbonne', scholam polytechnicam (Ecole polytechnique) et Domum Regiam Luxemburgensem. Tum in Hortum Luxemburgensem (Jardin du Luxembourg) intravimus, ubi prae viridi et sub sole splendente feminas cum liberis pilis ludentes et saltantes vidimus. Una circiter hora post hortum reliquimus et per magnam viam Sancti Michaelis (Boulevard Saint Michel) descendentes ad famosam



Domus Invalidorum

ecclesiam 'Nostram Dominam' (Notre Dame) advenimus, ubi ducentis annis ante Napoleo, ille ceber imperator Gallorum a pontifice Romano imperator Gallorum coronatus est. In ecclesia audivimus chorum ad musicam sancta carmina cantantem, et in sede eminenti audivimus etiam quendam sacerdotem alta voce canentem.

Media hora post ecclesiam reliquimus forisque spectavimus architecturam, cuius fama nobis iam multis annis antea fuerat nota. Non sensimus Sequanam infra nos fluentem, sed re vera infra ecclesiam praeterfluit. Itaque cum ex ecclesia sub caelum vernum exieramus, iam in altera, id est in dextera ora Sequanae eramus. Tum viam magnam Sebastopolitanam (Boulevard Sébastopol) sumus secuti usque ad viam Sancti Martini (Boulevard Saint Martin). Tum ad viam 'Montmartre' advenimus et ascendimus per viam 'Lafayette', postea 'Boulevard Magenta' ad 'Boulevard de Clichy'. Ibi statuimus nos iam esse in 'Monte Martre' (Montmartre). Cum autem tempus esset praematurum, etenim erat prima hora post meridiem, nobis permisimus, ut coemeterium 'Montmartre' iniremus ad sepulcra quaedam spectanda. Casu invenimus etiam sepulcrum Henrici Heine (Heinrich Heine), illius celebris poetae Germanorum. Et in sepulcro etiam breve carmen illius poetae erat inscriptum, cuius verba sunt:

"Wo wird einst des Wandermüden letzte Ruhestätte sein?
Werd' ich ruhen in dem Süden, unter Palmen? An dem Rhein?
Immerhin wird mich umgeben Gottes Himmel dort wie hier,
Und als Totenlampen schweben nachts die Sterne über mir."


Qui versus in Latinum verti talia fere nuntiant:

"Ubi migrando defessi ultima quies aliquando erit?
Quiescamne in meridie, sub palmis? an ad Rhenum flumen?
Tamen caelum Dei me circumdabit illic et hic,
Et noctu stellae quasi faces funebres super me lucebunt."


Post coemeterium visitavimus etiam parvam ecclesiam 'Cor Sacrum' (Sacré Coeur).

Mox reliqua narrabo, quae de urbe Lutetia in mentem mihi venient.

Emanuel Bernard



Cor Sacrum



Nostra Domina



Sepulcrum Henrici Heine
poetae

BOUGE DE LA

Ecce alium opus a discipulis scholae 'Brunnenhof' urbis nomine 'Düdingen' nobis missum: Cationem Francogallicam, quae edita est in disco compacto 'MC Solaar' titulo 'Qui sème le vent récolte le tempo' et in Latinum et in Theodiscum verterunt!

Tout a commencé dans la ville qu'on appelle Maison-Alfort:
Quand je vois une fatma chelou qui fait bouger son corps.
Elle me dit: "MC Solaar, viens-là qu'j'te donne du réconfort";
J'ai dit: "Non merci, c'est très gentil, mais je ne mange pas de porc."

Bouge de là.

Je continue mon trajet, j'arrive vers la gare de Lyon,
quand je vois un gars qui se dit vraiment très fort comme un lion.
Il me dit: "Claude MC, est-ce que tu veux qu'on se boxe?"
Ses hématomes étaient plus gros que les seins de Samantha Fox.

Bouge de là.

Ma voisine de palier, elle s'appelle Cassandre,
Elle a un petit chien, qu'elle appelle Alexandre,
Elle me dit: "Claude MC, est-ce que tu veux le descendre?"
J'ai pris mon Magnum, j'ai dû mal comprendre.

Bouge de là.

Directement, je suis allé chez Lucie
qui aime les chiens, les chats et trente millions d'amis.
Elle me dit: "T'aimés les animaux, toi mon Super MC?"
J'ai dit: "Oui, j'adore, avec du sel bien cuits."

Bouge de là.

Plus tard dans le métro y'a un charclo qui treine;
il me raconte sa vie; il me dit qu'il vient de Rennes.
Ensuite il me dit qu'il pue, qu'il faudrait qu'il se baigne.
J'lui dis: "Jette toi dans l'égout, t'arrive direct dans la Seine."

Bouge de là.

Je continue mon trajet, j'arrive vers le boulevard Barbès,
quand je vois un marocain qui venait de Marrakech.
Il me dit: "Arwah, arwah, j't'achète des raps en dinars."
J'ai dit: "Non, j'veux des dollars car on m'appelle Solaar."

ABI AB HOC LOCO

Omnia in oppido nomine Domo Alfortia incipiunt,
cum videam feminam forma pulcherrima viam transire et
mihi dicentem: "MC Solaar, licetne te invitare?"
"Non licet, gratias tibi ago, carnem porcorum non edo."

Abi ab hoc loco.

Iter meum pergo, ad stationem Lugduni sisto.
Ibi puerum video, qui se tam fortem quam leonem putat
mihi dicentem: "Claudi MC, mecumne pugnare vis?"
Manus eius maiores erant quam mammae Samanthae Foxis.

Abi ab hoc loco.

Mihi vicina nomine est Cassandra,
ei canis parva est, nomine Alexandra.
Mihi dicit: "Claudi MC, potesne mi canem interficere?" (1)
'Magnum' cepi et eum occidi, quod certe noluerat.

Abi ab hoc loco.

Ad Luciam ibam;
Canes, feles et 'triginta centena milia amicos' amat.
'Amasne animalia, MC?' rogat.
'Certe animalibus fruor a bono coquo sale paratis.'

Abi ab hoc loco.

Postea in metro virum bibulum, qui somnio se dederat, video.
Mihi de vita sua in urbe Redonibus multa narrat;
mihi dixit se male olere et necesse esse se in aquam ire lavatum.
'Salta', dixi, "in cloacam et in Sequanam advenies."

Abi ab hoc loco.

Viam perrexi et ad 'Boulevard Barbès' advenio.
Ibi virum Marocaneum a Marrakecho venientem video.
'Arwah, arwah', inquit, "rapum (2) tuum dinariis emo."
'Nolo', dixi, "da mihi dollaros, nam mihi nomen est Solaarus."

(1) Eodem vocabulo Francogallico 'descendre' significatur 'demittere, infra adferre' (quod vicina in mente habet) et 'interficere'.

(2) rapum: Rap (Modernus canendi modus, quo MC Solaarus utitur.

(Has adnotationes Genovefae Immé debemus, cuius in libello 'MAS' 32/1994 versio Latina etiam divulgata est. Gratias!)

GEH WEG VON HIER

Alles hat in der Stadt begonnen, die sich Maison-Alfort nennt:
Ich seh' eine Frau, die mit ihrem sexy Körper über die Strasse rennt.
Sie sagt mir: "MC Solaar, soll ich dich zum Essen einladen?"
Ich sage: "Nein danke, ich esse kein Schweinefleisch mit Maden."

Geh weg von hier.

Ich setze meinen Weg fort und mache beim Gare de Lyon halt.
Da seh' ich einen Jungen, der sich für so stark wie ein Löwe hält.
Er sagt mir: "MC Solaar, willst du, dass ich dich box'?"
Seine Fäuste waren grösser als die Brüste von Samantha Fox.

Geh weg von hier.

Meine Nachbarin von nebenan, sie heisst Cassandra;
sie hat einen kleinen Hund namens Alexandra.
Sie sagt zu mir: "Claude MC, kannst du sie mir 'runter bringen?"
Ich nahm meine 'Magnum'; ich muss es wohl falsch verstanden haben.

Ich ging direkt zu Lucie.
Sie liebt die Hunde, Katzen und "trente millions d'amis."
"Liebst du die Tiere, mein Super MC?" fragt sie mich.
"Ja, das tue ich, mit etwas Salz zubereitet von einem guten Koch."

Geh weg von hier.

Später in der Metro begegne ich einem Säufer, der pennt.
Er erzählt mir seine Geschichte und seine Herkunft aus Rennes.
Er sagt mir, dass er stinke und mal wieder baden sollte.
Ich sag' ihm: "Spring ins Abwasser, du gelangst direkt in die Seine."

Geh weg von hier.

Ich geh' weiter und gelange zum Boulevard Barbès;
da seh' ich einen Marokaner, der kommt von Marrakech.
Er sagt mir: "Arwah, arwah, ich kauf' dir deinen Rap in Dinars."
Ich hab' gesagt: "Nein, gib mir Dollars, denn meine Name ist Solaar."

In Latinum et Theodiscum verterunt:
Corinne Wirthner
Lucas Perez
Nick Miszak

MORTES

Melina Mercuri



Die sexto mensis Martii in urbe Novo Eboraco Melina Mercuri mortua est 68 annos nata, ille celeberrima actrix cinematographica, cantatrix, mulier rebus politicis incumbens, quae ab anno 1981° usque ad 1989^{um} et iterum ex 1993° munere ministris rerum culturalium Graeciae functa est. Melina Mercuri, quae anno 1925° Athenis nata est, anno 1959° in toto mundo celeberrima facta est, cum in pellicula a coniuge eius, Iulio (Julius) Dassin producta titulo 'Numquam die dominica' (Graece: Pote tin kyriaki; Francogallice: Jamais le dimanche) partes meretricis magna amabilitate, prudentia ardoreque in portu Atheniensi, Piraeo, viventis ageret. Quis ignoret illam cantionem

'Navis veniet..' (Theodisce: 'Ein Schiff wird kommen..')? Qua pellicula in festivalibus cinematographicis in urbe nomine 'Cannes' palmam auream accepit, quo insigni optima actrix honoratur.

Iam antea Melina Mercuri primum prodiit in pellicula titulo 'Stella' anno 1955° a Michaeli Cacoyannis producta, anno 1957° in pellicula titulo 'Cui moriendum est' (Francogallice: Celui qui doit mourir) secundum fabulam praeclari scriptoris Nikos Kazantzakis, qua partes Mariae Magdalenaegit.


Postea in pelliculis titulis 'Phaedra' (1962) vel 'Topkapi', iterum a coniuge Iulio Dassin producta, prodiit. Paulatim Melina Mercuri ab actrice in mulierem res politicas curantem mutata est, quae non casu acciderunt: Iam pater eius olim minister Graecus, avus eius praeses urbis Athenarum fuerant.

Anno 1967° contra dictaturam militarem fascisticam pugnare coepit. Assidue et impavide illud scelestum regimen oppug-

nans expulsa et patriam relinquere coacta est. Ius civitatis Graecum ei abiudicatum est. Clara sunt verba Melinae Mercuri: "Nata sum Graeca, Graeca quoque moriar. Dictatores militares sunt fascistae, et fascistae morientur."

Anno 1974° democratia in Graecia restituta Melina Mercuri in patriam revertit et operam dedit restitutioni theatri Graeci, iuribus consociationum syndicalium et mulierum, circumiectionum tutelae.

Anno 1977° legata Panhellenisticae Socialisticae Factionis (PASOK) in parlamentum Graecum electa est, et cum anno 1981° illa factio electionibus superior discedit, ab Andrea Papandreou ministrix rerum culturalium nominata est.



Melina Mercuri in pellicula titulo 'Numquam die dominica' (1959)

Per octo annos, usque ad annum 1989^{um} summa contentione culturam suae patriae curavit: Assidue, sed frustra, identidem poscebat, ut illae celeberrimae metopae templi Atheniensis nomine 'Parthenon', quae in museo Britannico (British Museum) Londini sunt, Graecis redderentur. Collegis, qui culturam neglegendam esse putabant, dixisse fertur: "Da mihi dimidium pecuniae, qua aeroplanum militare constat, et Graeciam medium culturale mundi faciam. Si traditionem culturalem amisimus, nihil sumus in hoc mundo." Cum factio socialista rebus mali exempli, quae verbo Graeco 'scandala' dicuntur, concuteretur, ex quibus tandem electionibus anni 1990° victa est, auctoritas et gratia apud populum Melinae Mercuri non est minuta.

Anno 1993°, cum factio socialista electionibus iterum vicit, Melina Mercuri iterum ministrix rerum culturalium facta est.

Exemplum praebuit viribus culturalibus et artificum operibus

pugnam politicam pro iuribus hominum et pace adiuvari posse.

Ingenio fervido et indomito actrix, cantatrix, sed imprimis homo pro hominibus et Graeca pro Graecis contendit, amata et admiratione affecta a populo suo. Mulier dignissima ea natione, cui mundus maximas et pulcherrimas res debet, etiamsi nostra aetate multi hominum huius rei non iam sibi conscii sint, memoria posterorum manebit.

Daniel Weissmann

Anno 1978° Holmiae (Stockhom) cum Andrea Papandreou et Olof Palme



In parlamento Graeco (1978)

In pellicula titulo 'Forsitan vir occidatur' (A man could get killed) (1966)



SOLUTIONES

Ecce solutio parvi aenigmatis libelli 2/94!

¹ C	² U	³ R	⁴ A
² U	M	O	R
³ R	O	T	A
⁴ A	R	A	T

1. sollicitudo
2. liquor
3. pars currūs
4. agrum colit



DE POMPEIANORUM INSCRIPTIONIBUS II

Inter inscriptiones Pompeis inventas multae ad munera pertinent. Inscriptio haec certiores nos facit de gladiatore nomine Priscus, qui manipulo Neronis inest et de gladiatore Herennio, qui malam fortunam habet:

"Priscus Neronianus, VI victoriarum, vicit. Herennius libertus, XIIX victoriarum, periit."

Gladiator Thrax (in lingua Graeca Thraex) a puellis adoratur:

"Suspirium puellarum Celadus Thraex."

Munera gladiatoria Pompeis locum habebunt:

"Decimi Lucreti Satri Valentis, flaminis Neronis Caesaris Augusti filii perpetui, gladiatorum paria XX, et Decimi Lucreti Valentis filii gladiatorum paria X pugnabunt Pompeis, V, IV, III, pridie Idus Apriles. Venatio legitima (=vera) et vela erunt. Scripsit Aemilius Celer singulus (= solus) ad lunam (= ad lucem lunae)."

Ad usum rusticorum dies nundinae indicuntur:

"Dies nundinae
Saturni Pompeis
Solis Nuceria
Lunae Atella
Martis Nola
Mercurii Cumis
Iovis Putiolos
Veneris Roma, Capua."

Multae inscriptiones ioco redactae sunt. Verba ad parietem:
"Admiror, paries, te non cecidisse ruinis, qui tot scriptorum taedia sustineas."

Verba hominum bibulorum:

"Marcum Cerrinium Vatiem aedilem oro vos faciatis. Seribibi (= ii, qui noctu bibunt) universi rogant."

Verba amatoris coloris candidi:

"Candida (= puella candida) me docuit nigras odisse puellas. Odero, si potero. Si non, invitus amabo.

Caupo negligens ludificatur:

"Minimus in lecto. Fateor, peccavimus, hospes. Si dices: quare? Nulla fuit matella."

Barbara Maier



Inscriptio ad honorem gladiatoris,
qui XXXII victorias assesutus est.

Aenigma

QVO PRAEMIVM ACCIPI POTEST! QVODQVE AENIGMA RECTE SOLVTVM ET RVMORI VARIO MISSVM AD SORTEM REVOCABITVR! DIES VLTIMA IDIBVS AVGVSTIS EST! SOLVTIONES IN UNO LIBELLORUM INSEQVENTIVM DEMONSTRABIMVS.

PRAEMIA SVNT: primum praemium LIBER
secundum et tertium praemium LIBELLVS

1	2	3	4	5	6
2					
3					
4					
5					
6					

1. opus poetae, nostra aetate etiam nomen mulierum
2. qui libenter ludit (Dat.sg)
3. quomodo serpens vel testudo procedit
4. huc et illuc agere
5. omnia nuntia vel refer!
6. fulgeat

Daniel Weissmann



DE COQUIS FRANCOGALLICIS

Iam sexto decimo saeculo p. Chr. n. coqui ex Italia venientes in aula regia Francogalliae mensam exquisitissimis epulis exstruxerunt. Coqui Francogallici ex arte eorum fructum ceperunt et ad summam dignitatem perducti sunt. Octavo decimo saeculo maximo honore habebantur. Aetate Ludovici Quinti Decimi Francogallia non modo litteris humanitateque, sed etiam arte coquendi excellebat. Erat sane virorum doctorum de arte illa disserere. Homines

nobiles inter se cenis sumptuosis aemulabantur. Convivas deliciis variis delectare studebant. Qui autem coquum e domo aliena alliciebat, turpitudinem atque infamiam concipiebat.

Ludovicus XIV libentissime cum multis convivis cenam capiebat. Ludovicus XV autem, qui in culina propria cibis parandis magnam operam dabat, cum uxore aut cum una e concubinis cenare solebat. Mensam construxit, quae per solum triclinii in culinam descendi poterat. In culina rursus ponebatur et in triclinium remittebatur. Eisdem temporibus coqui subtiliter et copiose artem coquendi perscripserunt. Unus ex iis, nomine Menon, librum de cenis in aula regia sumptis ('Soupers à la cour') edidit. Centum epulas quinque mensarum ad delictum convivarum composuit. Cupidus novitatis centum mensas eodem colore paravisse fertur. Tum Menon causam populi complexus est et epulas parvis impendiis proposuit. Liber ille, cuius titulus erat 'La cuisine bourgeoise' clarior factus est primo libro, qui Magna Conversione rerum publicarum in oblivionem venerat. Menon sane novum genus coquorum instituit et fundamentum gastronomia aetatis nostrae iecit.

Barbara Maier



PRAECEPTUM EX CULINA LUCERNENSI: IUS CASEI

Additamenta (pro quattuor personis):
300 gramma panis vetuli
200 gramma casei
una semilitra lactis fervidi ad tegendum caseum et et panem
duae ligulae butyri
una cepa
tres vel quattuor ligulae floris lactis (crami; Theodisce: Rahm)

Praeparatio:

Die priore: Panem vetulum secare et eodem modo caseum dissecare. Ambo in patinam ponere (vicissim caseum/panem/-caseum/panem...). Corpus lacte fervido perfundere. Tegere et nocte loco relinquere.

Die insequenti: Corpus in frigidario ponere et calefacere et semper permiscere. Florem lactis adiungere et in patina parare. Cepam sectam in butyro torrere et ius superfundere. Iuri casei Lucernensi apponuntur mala secta cocta.

Pro una persona: Unum malum magnum (specie vel 'Gravensteiner' vel 'Sauergraeuch' vel 'Boscop', Theodisce quae dicuntur), dimidium ligula sacchari, paululum aquae.

Malum secare et in aqua addito saccharo coquere.

Ut bene sapiat exopto!

Ius casei non sorbitio, sed ut cena integra ministranda cum lactuca viridi est.

Anna Jäger-Fischer



Facete lepideque dicta

Viduus cum tribus liberis viduam cum tribus liberis in matrimonium duxit et cum ea tres liberos genuit. Uno die clamor ingens totam domum personavit. Uxor causam investigans ad maritum dixit: "Tui liberi et mei liberi feriunt nostros liberos."

Anates ova sine clamore pariunt. Gallinae autem cacillant. Quid ex eo sequitur? Nemo ova anatina emit; omnes ova gallinarum postulant.

Anna Jäger-Fischer



GIBBER

(Narrationis pars altera)

Cum paulo post errantes oculos in scopulos, ubi noctis fluctuumque mugitus se ingerebant, forte casuque convertissem, novi visu obstupui. In candentis cautis margine sedebat gibber ille effuso capillo promissaque barba, tam severis oculis intuens omnia, immo penitus perscrutans, ut in intimis pelagi praecordiis quasi in speculo legere videretur. Oris lineamenta mihi nota apparebant, sed quis esset nondum nitide videre poteram. Appropinquavi: ut vero vocem audivi, subito agnovi: exuta confestim subucula, petaso proiecto et mantica, se in aquam immiserat atque e conspectu abierat interdum emergens spiritum ducendi necessitate impulsus. Magna perfusus hilaritate sibique plaudens, longa harundine pellucidoque filo, ex undis emersus, miseros pisciculos e salo detractos in litoris sabulo, ut extremum tandem spiritum efflarent, summa cura ac diligentia straverat. Interpuncta verba sibi uni locutus, in humenti harenarum limite copiosam praedam colligit, nescio quid modo digitis modo sarmentis hic illic stratis humi describens. Lineis confectis in tenebras vanescit. Curiositate impulsus propius accedo: muliebrem figuram haud infabre delineatam proximi fluctus appetunt.

Abiit iam dies gradu festino deversorium petens. Maritimi oppiduli forum paene vacat, rarior hominum turba viis obambulat. In magnum thermopolium marmore et vermiculatis tessellis subtiliter ornatum crebri ingrediuntur iuvenes: alii ad mensam stantes cervisiae pocula vel mulsa sorbillant, quae famuli unicuique ministrant, alii vero, qui ad abacos sedent, inter se festive colloquentes, necotianos bacillos huc illuc animose gestiunt, dum puellis oculis nictant vel meri vini pateras argute sustinent et, dum degustant, fluidas fumi nubeculas ex ore emonent. Inter ceteros adulescens ingreditur haud alacri incedens gradu,

nigro nec promisso capillo, vividis oculis, haud magno corpore. Sistit parumper in media thermopolii exedra, cervisiae poculum petit oculosque circumvertit. Pocillo exhausto, aere soluto, abit. Dum mensa surgit, eum nomine appello timidamque salutationem significo: "Carole..." aio, pudore prohibitus. Ille autem arrectis auribus vocem se non percepisse simulans, dubius et anceps aliquantum, egreditur. Obstupefactus denuo ac mirabundus egredior et ego vestigiis eius insistens. Per vici ambages evagatus ad portum propere pervenio. In cuiusdam cymbae extrema puppi, inter rudentes aliaque nautica instrumenta strati, iuvenes duo leni amplexu devincti modulato risu et fluenti sermocinantur. Alter non firma adhuc videtur esse aetate, rudi veste nautarum more indutus: tibias manibus regit, quas ori identidem admovet dulcem quendam sonitum ex iisdem effundens. Altera, aetate multo maior, intento animo flebilem diurnumque sonum, quem comes modulatur, dum oculos in me advenientem tendit, maxima voluptate exaudit. Haud procul puellula gravi somno consopita matris brachia reflexis manibus effusisque crinibus implicat. Breviter respectat, denique: "Quemnam quaeris, amice?" urbane Carolus rogat, etsi inelegans et obliquus interpellanti mihi visus est. - "Cur me fugis? Anne tibi metum inicio? Dic, quaeso..." remando, brevi obiurgatione instinctus. Ipse leni vultu subridet, nihil autem fatur. Puella, interea, somno leviter excutitur: Carolus paulisper humi genua flectit, apud filiam consistit, quam teneris oculis amplexus deinde palpebris blanditus exurgit, suavissimam cantilenam secum tacitus immurmurans. Iulia furtim propius accedens eum submissa voce canentem deosculatur mihi que aliquid mussitat, saepius iterat, sed repentinis vehementibusque aeris flatibus vox omnino intercluditur. Sublatis ancoris rudentibusque remissis, cymba e crepidine provehitur. Quamquam summo studio tenebar noscendi, quis Carolus esset, qua de causa me occulto ac paene furtim deversorio egressum paulo ante esset adsecutus, cur tam limis atque obliquis nonnumquam obtutibus in me usus esset, tamen, mihi id unum fastidio erat, quod ita e longinquo digitorum gestu admiscebat, ut procacem quandam animi irrisionem de industria crebro agitare et ostentare videretur. Capite ad salutandum comiter detecto, mihi saepius indicavit, qua expedite

iretur. "Numquid vis?" subiratus insto. "Quae causa est, cur me ludibrio habeas?" iterum dico, veluti si ludificandi gratia ei ita locutus essem.

Discedentes oculis e terra prosequor eorum verba sollicite exspectans. "Cras, primo mane, te libentissime conveniam", praeter exspectationem Carolus inquit, "fac, ne quid aliud cures." Haec, velut animo suspenso, excepi: quisnam de me eum certiore fecerat? Linter levissimo tibiatarum sonitu comitata, qui modo tenuis, modo gravis quasi mortuus mortuis redditus in longitudinem protrahitur, properat ad apertum mare.

Inquietudine quadam ac trepidatione correptus, quid faciam vel dicam mihi fingere nescio: homines an visus hominum simillimi meis oculis occurrerant? Haec dum mecum anxius trepidusque perpendo, nocturnum pontum multis parvisque linternis luminibus distinctum circumspicio, earum imagines sequor.

Deversorium ingressus pauca loquor: procerus atriensis in suggestu consistens me officiose salvere iubet, dum famulus quidam prasino cincticulo praecinctus meos sacculos viatorios festina sedulitate amovet meque anabathro exceptum ad tertiam comitatur tabulationem. Conclave simplex munditiis, satis amplum. Post calidum immodiceque aestuosum diem, pensilibus balneis usus, tepidis frigidisque lavacris me sudore ablucio ac totum corpus nimio calore oppressum recreo. Cenatus et in maeniano breviter otatus cubitum eo.

Insequenti die, nondum luminis aura praefulserat, ubi deverticulo exivi atque immobilis parumper moratus sum, ut perfrigidum aere paulum perfruerer, simul, ut suboscurae luci sensim adsuescerem. Ut ex noctis veterno me refeci, oculis intentis omnia explorare coepi: flatilis arborum umbra placide nutabat, tergemini euechalyptorum ordines in auras leniter assurgebant. Ubi tandem acta diurna volutare coepi, haud longe Carolum me praestolantem inveni. Ut vidi, multum gaudium profudi. "Salvere te iubeo, Marce", ad me conversus maxime comis et festivus et interdum etiam facetus in colloquendo quasi longo iam tempore me amico uteretur. "Te libenter iucundeque reviso: ad amicum, ut spero, amicissimus veni." - "Tu quoque velim", aio, "optime valeas: quomodo praeteritae noctis spatium egistis?" curiosus ex eo flagitavi. - "Pisciculos admodum parvos noctur-

nis retibus lychnisque captavimus, aër tamen, vento leniter reflante, minime tumbat et nos gratissime per totam fere noctem ita mulsit ac refecit, ut nullo somno capti usque ad aurorae lumen viribus integri processerimus." Nullo fastidio affecti atque pertaesi dexteram invicem coniunximus: propomate propinato una simul iter facere placuit, ut fieri solet, nullo timore perfusi ac vepallidi nulloque perperam usi sermone. Exinde, suburbanis regionibus satis lustratis, quasdam imagines luce pictas photographica capsella expressi, tum huc, tum illuc respiciens. "Hac vero de causa", intermissum sermonem altius repetens, "te convenire statui, ut hodie apud nos deverseris: Iulia enim tibi opipare apparavit convivium." Tunc illi: "Me venturum esse promitto, neque vos breves esse amicos cupio, sed diuturnos, et, quantum fieri poterit, neque tacitos, sed disertos satis." Ultra citroque plurimis verbis habitis, cum ille de vicissitudinibus meis esset percontatus, ego illum de eius, paululum progressi hinc prorsus iter ad orientem solem perreximus. Dum alter alterius implicat bracchium, quiddam venusti amarique in ipso oris habitu gerimus, quod ipsi explicare nequimus. Interea alio vertitur sermo.

Colles leniter adclives saxosamque ascendimus vallem et inter eundum matutinas cupressus et dumeta quae circum, resurgente sole, hirundines merulaeque adsiduo clamore pervolitant, maxima oculorum intentione contemplamur, haud longe et ipsum mare prima vela gerens. Huc illuc evagati in planitiem descendimus pastorum mapalibus frequentem: haud procul in quiete silentioque domus quaedam. "Cui domus haec?" ex eo poposci. Post nonnihil silentii: "Fratrī meo", brevi Carolus praecidit. Nobis ianuam pulsantibus vox admodum garrula et nativo eloquio simplex: "Introite!" inquit, malignum oris sonitum, illudendi causa, adhibens, "nondum enim fractae vires me e lectulo exsurgere sinunt."

(Narrationis pars tertia in proximo libello sequetur)

Maurus Pisini



Subnoto RVMOREM VARIVM, ut ipse accipiam (Ich abonniere RVMOR VARIVS für mich selber)

Hier bitte frankieren

Subnoto RVMOREM VARIVM DONO DATVM ei, cuius inscriptio cursualis supra indicata est (Ich abonniere RVMOR VARIVS als Geschenkabonnement für jemanden, dessen Adresse oben angegeben ist:) -----
Factura subnotationis mittenda est ad inscriptionem cursualem infra indicatam (Die Abonnementsrechnung ist zu senden an:)

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
8050 Zürich

Ort, Datum: _____

Unterschrift: _____

Hic solutionem inscribe et chartam mitte!

1	2	3	4	5	6
6					
5					
4					
3					
2					

Nomen emittentis et inscriptio cursualis:

AZB

8050 Zürich

3/94

IDIBVS IVLIIS

MCMXCIV



RVMOR VARIVS



RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
8050 Zürich

TOMVS 17

FASC.104